



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

II. Detestanda, maximè in Sacris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

quàm amare pecuniam; auaro autem nihil est scelestius. Et Apostolo auaritia idololatriæ cuiuspiam genus est. quod explanans S. Augustinus: *Auari, inquit, frui volunt nummo; uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt; sed Deum propter nummum colunt.*

## NVM:II.

*Detestanda in sacris.*

**I**D etsi semper turpe sit: tum verò turpissimum; imò flagitiosissimum, in Clericis, qui non modò crines, curam scilicet rerum superfluarum, solenni ritu à se abdicârunt; ut in Domini sortem venirent: sed & quò sanctiùs sacra tractarent, se quoque diuino cultui dedicârunt. Quàm putas execrandum: si ij de rebus ipsis sacris nundinentur; & (quod de nonnullis Apostolus conqueritur) ipsam pietatem quæstum faciant? nam si habere quæstui rempubl, sceleratum, &



nefarium esse duxit & dixit Cicero, immanè quantum horribilius, haberi quæstui ipsam religionem? adeò (quod idem Orator scribit) *nullum est officium tam sanctum atq; solenne; quod non auaritia comminuere, atq; violare soleat.* Veniant hîc tibi, quæso, in memoriam filii Heli: hi nescientes *Domini* (vt referunt sacri Regum annales) *neq; officium Sacerdotum ad populum, ministris sacrorum mandabant: vt fuscinulâ tridente, victimarum carnes leuarent, dum coquerentur, & vt antequam adipem adolerent; crudam carnem vi auferrent eâ ferreâ lege, aut dabis, aut vi tollam: erat autem, inquit idem sacer textus, peccatum puerorum grande nimis coram Domino. Vis audire causam? quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Sed non fuit impune scelus hoc; Supplicium enim graue de sacrilegio sumptum; in flagitii detestationem arca capta, impiû sacrificuli mortè mulctati, suâq; ruinâ paren.



parentem quoq; conuenientem inuoluerunt. Redeat præterea in mentem Simoniacæ labis antiquus author, Giezi. Hic pro leprâ diuinitûs depulsâ pretium Elisæo priûs oblatum atque repudiatum, cùm sordidus nundinator corrasisset, pro supplicio sibi, posterisque lepram domum reportauit.

Age verò, quid faceres, insignibus scilicet animarum curatoribus, qui non tam procurandæ religioni, quàm cumulandis opibus incumberent? Quibus non pascere gregem, sed se ipsos cura esset; inseruire non illius, sed propriis commodis; quos videres non viuere contentos ouium lanâ, & lacte; sed etiam eas mulgere ad plenum, imò ad cutem deglubere intentos: qui pro rebus sacris, ipsisque Sacramentis pecuniam exigerent à pauperibus, etiam extorquerent hâc impiâ voce, vel sponte dabis, vel tol- lam; si, prò nefas! aquam baptismi pecuniâ ab egenis extortâ vendita-  
rent,



rent, & Christi sanguinem pro viatico petentibus, nisi acceptis 30. denarijs, tradere nollent. Scio his præsertim temporibus, ac locis eiusmodi pastorum Idola, aut portenta vix reperiri. Sed tamen olim fuere aliqui, & sunt fortasse nonnulli; vide ne tu vnus.

NVM: III.

*Insignis liberalitas in Pastoribus  
Ecclesiasticis.*

**V**T auaritiæ vitium est sordidum, ac barbarum in viris Ecclesiasticis, ac pastoribus præsertim: ita liberalitas virtus est præclara, omninò regia, diuina: nihil splendidius auro, & argento; cùm in arcâ non sordent; sed pauperum manibus teruntur; nihil magis regium, quàm dare, imò nihil magis diuinum; da, & Deus eris. Prolixum argumentum persequi non vacat: inspicere saltem per transennam exempla præstantium aliquot Pasto-